

*De efferendis mortuis, deducendóq; funere.*

C A P. I I I I.



Iam cōtingat (quod frequēs est eorum statu) vt moriātur aliqui, qui subinde efferendi, sepeliendiq; sunt, quia eiusmodi res ad impediendū contagium diligenti eget obseruatione, videndum est hīc quoque, quæ ratio per conseruatores inueniri queat, vt quàm minimo cum periculo fiat. Confistit autem in duobus præcipuè articulis, videlicet per quos, & quomodo istuc fieri debeat. Opus igitur hīc erit, imitari maiorum nostrorum consuetudinem, qui monachorum quoddam genus habebant, quos, propterea quòd plerūq; illiterati essent, Fratres ignorantes alicubi appellarunt, vel Begardos, quasi ægrorum custodes: vel Lollardos, quòd ductu funera prosequerentur. Quorum officium erat, ægrotis adesse, qui eorum operam requirerent, præcipuè autē pestiferis, illisque priuatim seruire, interdū quoq; admonitionibus confirmare cōsolarique, mortuos verò arculis imponere, ac ad sepulturam deferre. Vfus sanè non aspernandus. Ac extat quoddam scriptum, quod B, Hieronymo, licet falsò

*Fratres i-  
gnorantes.*

falsò attribuitur, in quo primus gradus ordinis Ecclesiastici statuitur eorum, qui mortuos sepeliunt, quod officium modò abiectissimum habetur. Vtut verò est, omnino certi aliquot cõstituendi, ac stipendio publico conducèdi sunt, homines non infames, neque asoti, neque prorsus contemptissimi: quorum alij libitinariorum, seu vespillonum ac pollinctorum, alij bustifabrorum, alij expiatorum & elatorũ nomen habebunt, officiũque eorum esse debet, scrobes fodere, loculos fabricare, cadaueraq; iis imponere, efferre ac sepelire. Deinde quoque domos funestas, resq; vniuersas huc pertinètes, quãtũ ab ipsis requiretur, emundare, abluere, expiare eo, quem infrà describemus, modo. Hi verò quum ita fuerint conducti, graui subinde iuramento, atq; certa proposita pœna coercendi sunt, vt ad nullos alios accedãt, neque aliis sepulchra construant, quãm qui peste decumbunt, aut mortui sunt: sed vel domi sese contineant, vel nota aliqua, vt virgula alba, vel simili quapiam insigniti prodeãt: neque sic tamẽ hominum cœtui se immisceant, aut propiũs adiungant.

Velim autem insuper illos ipsos admonitos esse, ne tam lucri causa, quãm charitatis, humanitatisque communi vinculo hanc abiectam & coram hominibus infamem prouinciam suscipere, administrarẽque in animum inducant: sed *Hist. Eccl. 9. cap. 8.* sciãt se piissimũ opus facere, quod sancti quondam Dei viri, imò ipsi Angeli fecisse leguntur. *Tob. 1. 2. Deuter. 24.*

*Bulling. 1* Proinde modestè & placidè se gerant, mortuo-  
*de orig. er.* rumque cadauera honestè contrectent, vtpote  
 quæ rursus sancta animorum ergastula futura,  
 vnàque cum animabus suis redintegrata, et si ad  
 tempus modò ab iis discessère, è terra resurre-  
 ctura, & cum Deo cælesti gloria, diuinóque splé-  
 dore illustrata æternum sunt victura. Magni fa-  
 cimus, & singulari reuerentia obseruamus eos  
 magnatum infantulos, quos olim regnum pos-  
 sessuros, ac tantis honoribus præfuturos puta-  
 mus, & contemtim vel irreuerenter ea corpora  
 tractabimus, in quibus Deum nostrum, & fra-  
 trem Iesum Christum simili forma vestitum vi-  
 suri aliquando, & in sempiterna secula cum ipso  
 regnaturi sumus? Tempula hominum manibus  
 extructa nefas est vlla ratione violare, quique in  
 Pithij fano cacârat, immortalis infamia traduci-  
 tur, & maximum piaculum commisisse credi-  
 tur, quantò minùs nobis Spiritus sancti templa  
 temerè, & Cynicorum more, tanquam brutorù  
 cadauera contumeliosè tractare licebit? Cùm  
 dormituros dominos suos serui imponunt le-  
 ctulo, non proteruè abiiciunt, verùm sedatè &  
 honestè attrectant, componunt, teguntq; , mul-  
 tò igitur æquius & decentius est, mortuos no-  
 stros & in Domino obdormientes, reuerentur  
 huic lecto imponere, ex quo ad vitam immor-  
 talem resuscitandi sunt. Quis regum ferat æquo  
 animo, si liberos suos vita defunctos indignius  
 haberi audiat vel videat? Quando ergo credibili  
 le

*Compara-  
 ziones ali-  
 quot.*

- 1.
- 2.
- 3.

le est, qui in fide moriuntur, Dei filios esse, multò magis hic indignabitur, si quid in suorum fidelium corpora indecenter committi viderit. Denique vt dicā paucis, meminisse oportet eos, qui huic rei præerunt, quod D. Paulus ait, in Ecclesia omnia εὐχρημόνως ἢ κατὰ τάξιν gerenda esse, ad hoc quoque negotium pertinere.

Sed roget aliquis, quæ erit igitur solennitas, ac quasi publica honestas, qua efferrī solēt ad tumulū mortui? In aliis ciuitatibus alius mos obtinet, sed nos hīc quàm minimum solennitatis requirimus. Non quòd negem Christianos honorificam sepulturam decere, sed hæc tempora alios mores postulāt. Et quia nunc paulatim accedit fastus, sicut olim auaritia sacrificorū, abusuq; contaminat rem alioqui honestā, noui magnos viros, qui in testamentis suis diligenter cauerant, vt absque omni pompa sepelirentur. At hæc externa sunt, & adiaphora, ob quæ admissa, vel omissa nemo debet iudicari. Tametsi enim laudabilis consuetudo non est temerè spernenda, æquum tamen est, vt solennitas cedat necessitati: quæ necessitas, iudicio omnium prudentum, non est subiecta legi, sed lex ipsa ei subiace- re & seruire debet, quod pluribus exemplis posset probari, si necesse sit. Quòd si autem persuaderi aliter homines non possint, quin ritus aliquis solennis adhibeatur, is per quam moderatissimus esse debet, ne quid damni inde attrahatur toti societati, & ne (quod Cato ille dicebat)

*Sepultura  
honestas.*

*Budæus &  
Vatablus  
in Gallia.*

in ipsa morte videamur esse ambitiosi.

Deinde quia ciuitatibus quibusdam in more est, vt qui sanguine propinquiore sunt, eo tempore ipsas mortuorū ædes ingrediatur, hoc vt nemini liceat, edicendum est. Sunt enim ædes quorundam valdè angustæ & foetidæ, qui foetor insuper non parum augetur variorum hominū halitu, & plurimum potest obesse insuetis & teneris infirmisq; naturis. Dein nullus quoque ex infectis & funestis illis ædibus funus comitari permittendus est, quantumuis consuetudo id requirat: quemadmodum antea hæc sedulò obseruanda præscripsimus. Idem iudicandum de puerorum scholasticorum caterua, qui solent alicubi sepulturis adesse & præcinere. Hi enim semper in maiori periculo versantur concipiendi aeris contagiosi, propter mollitiem ætatis & incautam rationem victus. Quæ omnia vt vna via caueantur, ego in hanc propendeo sententiam, quum antea quoque omnem frequētiam vitandam dixi, vt hac consuetudine tantisper supersedeatur, dum se publicum illud malum remiserit. Neque enim tanti facienda ceremonia est, vt propter eam in periculum cōiciamus valetudinem. Nam ceremoniæ nobis seruire debent, non nos ceremoniis. Et iam dudum satis persuasi sumus, quicquid harum rerum fit, non ad mortuorum subsidium (vt temerè maiores nostri crediderunt) sed propter viuētium solatium fieri (vt alibi loquitur B. Augustinus)

nempe

nempe dum vident, etiam post mortem aliquam habendam sui rationem, & spem superesse vitæ alterius, quæ tristem hunc obitum in nobis possit consolari. Quod si qui verò officium charitatis prætendent, quod hac ratione imminui & tenuioribus quasi subtrahi videatur, illi faciliè placabuntur, quum in omnibus eundem ordinem obseruari videbunt. Qui verò singulari zelo incitati inolitam consuetudinem vehementiùs vrgebunt, in illis zelus quidem laudandus, sed requirenda scientia est. Instituenti igitur sunt, vt discant synceræ pietatis ac charitatis officia in quibus consistant rebus. Verum honorem sepulturæ verasque inferias esse, virtutis laudem, & rerum præclarè gestarum memoriam: quam etsi externis quidem spectaculis licet celebrare, semper tamen non expedit. Breuiter pluris faciendam esse salutem publicam, quàm priuatorum quorundam zelotum, ne dicam superstitiosorum (nimis enim ac cum ignorantia coniunctus zelus superstitio est) hominum malè institutam voluntatem.

*Superstitio  
quid sit.*

Atque hæc ita vt diximus, conseruatores inculpatè obseruari præcipient: quibus etiam illud addent, vt neque illatio in capsulas, neque elatio ad tumulum, aut nimis tardè, aut nimis præcipitanter fiant. Illud enim periculum augendi contagij, delatis nimirum à putrido cadauere prauis vaporibus, nonnun-

*Leu. Lem.* quam & intollerabilibus foetoribus afferre po-  
*de occ. nat.* test, & sanos vehementer offendit: hoc autem i-  
*mirac. 2.* p̄lis aliquando, qui mortui credebantur, cūm  
*cap 3.* mortui nondum essent, exitiosum fuit. Scimus,  
*li. 1. de pest.* inquit Alex. Benedictus, quosdam vespillonum  
*cap. 1.* manibus ad tumulum tractos semiuiuos, alios  
*Plin. 7. ca.* ex nobilibus, quibus anima adhuc in cordis la-  
*52.* tibulis delitescibat, in sepulchris cōditos fuisse.  
*August. de* Vna ex magnis matronis hoc modo sepulta (pu-  
*ciuit. Dei,* ta Venetiis) paulò p̄st visa est mortua, tamen  
*22 cap. 28.* quæ sedens & emota loco inter cadauera reui-  
*in comm.* xerat, euulsæ comæ, dilaniatūmque vngue pe-  
*Historia a-* ter, mortuos nequaquam superos inuocauit. I-  
*liquos de* dem de alia quadam narratum mihi est, quæ gra-  
*uuis sepul-* uida Patauij, mortuâque credita, sepultâque in  
*tis.* ipso paulò p̄st sepulchro viuos gemellos pepe-  
 rit, qui eiulatu suo templi custodes miserabilis  
 fortunæ noctu admonentes, vnâ cum matre e-  
 repti sunt periculo. Ne quis autem miretur po-  
 tuisse viuos manere, quibus ob prohibitam ae-  
 ris attractionem suffocatio erat necessaria, sciat  
 Italorum esse consuetudinem, vt honestiores fa-  
 milix peculiaria in templis loca habeant, cellas  
 scilicet amplas & concameratas, in quibus mor-  
 tuos suos collocant, nullis capsulis inclusos, ne-  
 que terra obrutos. Similè ferè constat, & publi-  
 co quidem pictæ & suspensæ ad ædem Apostolo-  
 rum tabulæ testimonio, de quadâ muliere Co-  
 loniensi, quæ quamuis inclusa arcula, & terra  
 con tu-